qualiter in ea tamquam aliquatenus ymago
trinitatis indicatur. Non enim per cre-
aturarum contemplationem sufficiens
noticia trinitatis potest haberi vel
potuit sine doctrine vel inspi-
racionis interioris revelacione.
Unde illi antiqui philosophi
quasi per umbram et de longinquo
viderunt veritatem deficientes in con-
tuitu trinitatis ut magi pha-
raonis in tercio signo. Adiuva-
mur tamen in fide invisibilium
per ea que facta sunt. *in anima*
*Quomodo ymago trinitatis sit*

Nunc vero ad eam perveniamus
disputacionem ut in mente
humana que novit deum non
vestigium vel potest nosse trinitatis
ymaginem reperiamus. Ut enim
ait augustinus in xiiii libro de trinitate
Licet igitur mens humana non
sit eius nature cuius est deus ymago
tamen illius quo nichil melius
est ibi querenda et inve-
nienda est quo natura nostra nichil
habet melius id est in mente. In ipsa
enim mente eciam antequam sit particeps
dei eius ymago reperitur.
Et si enim amissa dei participacione
deformis sit ymago tamen dei
permanet. Eo enim ipso ymago
dei est mens quo capax eius
est eiusque esse particeps potest. Iam er-
go in ea trinitatem que deus non
est inquiramus. *Tria ostendit*
*esse in anima que relative dicuntur et equalia*
*sunt scilicet memoriam intelligentiam di-*
*lectionem. Subtilissima consideracio*
*congruaque similitudo.*
Ecce ergo mens meminit
sui intelligit se diligit
se. Hoc si cernimus trinitatem cernimus,
nondum quidem deum
sed ymaginem dei. Hic enim quedam
apparet trinitas memorie intelli-
gentie et amoris. Hec ergo tria potissimum
tractemus memoriam intelligentiam
voluntatem. Hec ergo tria ut ait augustinus
in libro de trinitate. Non sunt tres
vite sed una vita nec tres mentes
sed una mens una essencia. Me-
moria vero ad aliquid dicitur et relative
intelligencia et voluntas sive dilectio
similiter ad aliquid dicitur. Vita vero
dicitur ad se ipsam et mens et essencia.
Hec igitur tria eo sunt unum quo una
vita una mens una essencia et
quidquid aliud ad se ipsa singula
dicuntur et simul non pluraliter sed singulariter di-
cuntur. Eo vero tria sunt quo ad se in-
vicem referuntur. *Quomodo equalia sint*
*quia capiuntur a singulis omnia et tota*

Qualia sunt etiam non
solum singula singulis sed etiam
singula omnibus. Alioquin non se
invicem caperent. Se autem invicem
capiunt. Capiuntur enim et a singulis
singula et a singulis omnia. Memini
enim me habere memoriam et intelli-
genciam et voluntatem et intelligo
me intelligere et velle atque me
meminisse et volo me velle me
meminisse et intelligere. *Hic ostendit*
*quomodo tota illa tria memoria capiat*

Totamque meam memoriam
et intelligenciam et volun-
tatem simul memini. Quod enim memo-
rie mee non memini illud non est
in memoria mea. Nichil autem in
memoria mea tam est quam ipsa me-
moria. Totam igitur memini. Item
quidquid intelligo intelligere
me scio et scio me velle quidquid
volo. Quidquid autem scio memini.
Totam igitur intelligenciam totamque
voluntatem meam memini. *Quomodo*
*illa tria capiat tota intelligencia*

Similiter cum hec tria intelli-
go tota simul intelligo. Neque
enim quicquam intelligibilium est